



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Nullum perdit tempus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

anteuertebat, neque cunctationibus, sœcordiaque corrumpebat; denique in rebus eius omnibus splendor quidam Religiosæ integritatis emicabat, qui tantam ei venerationem conciliabat apud omnes, vt vulgò non nisi summâ reuerentiâ approbationeque de eo loquerentur.

*Ordo vi-
uendi.*

Res altera quæ magno ei adiumento fuit, erat certa ac constans viuendi ratio, quam semper laudatissimam tenuit. Solebat semestribus singulis (per id triduum quo nostri negotijs ferè omnibus sibi interdicit, ad instauranda meliùs renouandaque Religionis vota) distribuere temporum, dierum, horarum etiam interualla, quibus ad res quasque erat opus. Atque hanc partitionem in proximæ Renouationis tempus obseruabat constanter: ac tunc, si vsus esset, ob diuersitatem vel habitationis, vel occupationum, eam commutabat. Quoniam verò interdium spatia quædam temporis incidunt aut abrupta aut breuia, quæ facillè incurioso alicui elabuntur, ille qui temporis scilicet erat audivissimus, peculiare quædam actiones affixerat eorum singulis, pro cuiusque duratione; prorsus vt ne momenti quidem faceret iacturam. Neque eâ temporis parcimoniâ contentus, insuper præmeditata habebat quæcumque ei incumbebant agenda: quâ nempe
ratione

*Nullum
perdit tem-
pus.*

ratione ea quàm optimè faceret. Exempli gratiã, quemadmodum somnum repeteret, quo modo aut in lectulo se collocaret, aut ex eo surgeret; quo se studio ad orandum & ad

*Prouisas
habebat
actiones
suas om-
nes.*

commentandum præpararet; quã religione Sacris interesset, aut ad sacra obeunda mysteria se compararet; quã curã in conscientiam quæreret; quã denique sollicitudine rem quamlibet aliam (quam quidem certum sciret abs se esse procurandam) administraret: adeoque designauerat scripto, quo potissimum fine, quo tempore, quibus adiunctis ea res agenda esset, vt quando constitutum rei suscipiendæ tempus aduenisset, eam rem præstaret tamquam præcogitatam, omnium perfectione; vt ex calce libri huius constabit: cui exempla nonnulla subijciam earum actionum, quas ipse certã ratione faciendas scripto definierat. Ad hæc, per summam illam vigilantiam sublimiùs denique eniti studuit, vt non solùm eas res, quas indubiè certoque administrare deberet, verùm etiam incerta extraordinariaque negotia ad ordinem ac tempus suum reuocaret; ne improuisis vniquam rebus priùs opprimeretur, quàm ad eas ipse prudens paratusque accessisset. Exemplum ab eo litteris mandatum reperio in hæc verba: *Si hoc illudve euenerit, tum hoc illudve faciam: si hac illãve de re in-*

*Extempo-
ralia quo-
que reuo-
cat ad cer-
tum tẽpus.*

terro-